

Q. D. B. V.

CONSIDERATIONEM

PACIS

POLITICAM, LOGICAM,
THEOLOGICAM,

AD. D. XVI. NOV. M DC LXXIX.

POST

JUBILA PACIS

IN TEMPLIS CELEBRATA,

IN GYMNASIO ZITTA-

VIENSI,

do SUB MODERAMINE

CHRISTIANI WEISII, RECTORIS,

PUBLICÆ COMMILTONUM VENTILATIONI

ibidem quod dicitur quod SUBMITTIT,

SIMULQ; CLARIORES AUDTORES AC

TESTES EXOPTAT

NATHANAEL Hertel/

Peniga Misnicus.

ZITTA VIÆ,

TYPIS MICHAELIS HARTMANNE

VIRIS
Nobilissimo, Amplissimo, Consultissimo,
DNO TOBIÆ HÄUBLERO,
J. U. D. Perillustris ac Generosissimi
Baronis WOLFF-HEINRICI â Schönburg Consilia-
rio, Reiꝝ publicæ Penicensis Præfecto gra-
vissimo meritissimo.

Admodum Reverendo, Amplissimo,
Excellentissimoq;
DNO M. JOHANNI SCHÖN-
FELDIO, Ecclesiæ Patriæ Pastori Pri-
mario, cæterarumq; in Diœcesi Penicensium Superin-
tendenti vigilantissimo, fidelissimo.

Dn. Dn.

Patronis paritor ac Promotoribus jugi ob-
servantia cultu æternum devenerandis,
suspiciendis,

qualescunq; disputandi
primitias

in ulteriore studiorum
promotionem sacras cupit

Cliens devot:

NATHANAEL Hertel / Pen: Misn:
Gymn: Zittav: Alumn:



THESES POLITICÆ.



I

Ax definitur, vel respectu Belli antecedentis, quod componitur: Pactio duorum Principum vel Rerump. de tollendis inimicitiis; vel respectu Boni præsentis, quod introducitur: Pactio de colendis amici-
tiis.

II. Ipsum vero Pactionis vocabulum vel habet sensum acti-
vum, vel passivum. In sensu activo Pactio Pacis idem valet ac Pacifi-
catio; in sensu passivo id denotatur, quod per Pacificationem solet in-
troduci.

III. Quod per Pacificationem introducitur, vel spectari potest
secundum Personas in utrâq; Pacificantium Rep. viventes, vel secun-
dum ipsas Resp. Priori respectu Pax est, Consensus f. mutua benevo-
lentia Civium utrinq; habitantium; Posteriori, Status Rerump. in
tranquillitate constitutarum.

IV. Cæterum Amicitia quæ Pacem simpliciter constituit, vel
planè est negativa, ut excludat omnem nocendi voluntatem, vel sal-
tem generalis, ut ea tantum officia complectatur, quæ quivis homo de-
bet homini.

V. Quando enim Amicitia extenditur ad actus speciales e. g.
de ferendis auxilis, de liberis commerciis &c. Pactio non vocatur Pax
sed Fœdus: ac Personæ pacientes, non simpliciter Amici, sed extan-
tiūs Socii appellantur.

VI. Nobilissima Pax est, quam dicimus perpetuam, ubi tollun-
tur omnes inimicitarum causæ, ac adeo secundum intentionem, quam
in præsenti habent Pacificantes, constans speratur benevolentia, nisi
præter intentionem, noya belli causa, tunc ignorata, emergat.

VII. Ignor-

VII. Ignobilior Pax est temporaria, quam vocamus Inducias: ibi enim non tolluntur causæ, sed ad breve tempus seponuntur, seu ut loqvuntur Politici, non tollitur voluntas, sed suspenditur nocendi actus. Quinetiam ista Pax constitui potest inter Personas Majestatem non habentes: id quod durante bello inter Præfectos rarum haud est.

VIII. An Pax aliqua sit certa, alia vicissim infida, Politicus exactè non judicat, cuius censura non extenditur ad hominum occultas cogitationes: interim Statistica, h. e. Doctrina de Consiliis Politicis Dif- fidentiam in quibusvis negotiis necessariam, ne quidem in Pacificationibus abesse debere dicitat.

IX. Gravior est quæstio de Pace iusta & injusta: cum videri possit, Pacem injustam omnino servandam non esse.

X. Pax igitur injusta non est, quæ alteri est inutilis: quemadmodum à Victore duriores plerumq; conditiones præscribuntur, quibus excutiendis non sufficiunt bello pressi.

XI. Sed Pax iusta est, cuius observantia includit turpitudinem moralem, ac violat Præceptum divinum. Qualis ea erat olim Ethnicorum cum Christianis, ut isti sacrificarent Idolis; aut ea Hispanorum cum Saracenis, ut in singulos annos libidini istorum traderentur è nobilissimâ juventute centum virgines.

XII. Injusta vero Pax, quæ rescindi queat, non est, quæ concluditur cum Infidelibus, Hæreticis vel Heterodoxis. Aut enim ea negotia sic ad Politicam spectant, ut nullum arbitrium sit penes Ecclesiæ; aut si Pax servari non debebat, maximâ turpitudine non solum concludebatur, sed etiam solenniter confirmabatur.

THESES LOGICÆ.

I.

Pax diversimodè accepta in diversis est Prædicamentis.

II. Pactio s. Pacificatio, sine omni dubio refertur ad Prædicamentum Actionis.

III. Absentia belli, tanquam Privatio, propriè ad rerum classes non spectat.

IV. Consensus Civium acceptus conjunctim, sanè complexum est: referri tamen potest ad Relationem: quippe personæ Pacificantes

Cor-

Correlata sunt, quorum fundamentum remotum est jus consentiendi, proximum ipse consentiendi actus.

V. Consensus vero acceptus divisum, est habitus s. Qualitas acquisita in singulis pacificantium animis. Ad pacem enim non sufficit Benevolentia, quæ occurrit in tertia specie Qualitatis, sed quæ referri meretur ad primam.

VI. Status propriè ad ea Prædicamenta non pertinet, quæ rebus naturalibus designant classes: ab iis tamen, qui moralia reducunt ad Prædicamenta, Status comparatur loco. Ut enim Corpus continetur in loco, ita Societates ac Personæ in certo Statu.

VII. Si Pax confideratur tanquam bonum Reip. temperamentum, reduci poterit ad Qualitatem, & ad eam maximè speciem, in qua collocatúr Sanitas. Nimirum quod Sanitas s. temperamentum optimarum qualitatum est in homine, id Pax etiam est in corpore morali s. ci-vili Reipublicæ.

VIII. Amicitia negativa & positiva, generalis & specialis, convenient analogicè, Analogiâ attributionis.

IX. Inde nobilior est Amicitia Fœderatorum, quam eorum inter quos tantum est Pax.

X. Pax divisa in perpetuam & Temporariam convenit Analogiâ attributionis.

XI. Pax divisa in externam (Principis cum alio principe) & internam (principis cum Subditis) convenit Analogiâ proportionis vel similitudinis.

XII. Pax divisa in certam & infidam sola convenit Äquivocatione.

XIII. Pax perpetua, quæ seponit articulos difficiliores, involvit Contradictionem.

XIV. Pax & Bellum sibi opponuntur contrariè. Pax & non Pax contradistincti.

XV. Non Pax & Bellum non sunt Synonyma.

XVI. Augustino Pax audit, ORDINATA CONCORDIA; Ciceroni, LIBERA TRANQUILLITAS. Quæritur jam, an definitiones Logicè convenient cum superioribus? Nos certè in paucis verbis exprimi Genus Pacis & differentiam statuimus.

XVII. Si

XVII. Si enim Genus est, Pactio suscepta inter Personas Majestatem habentes; ORDINATUM dicitur quod provenir à Personis jus ordinandi habentibus, LIBERUM adhuc clarior, id quod à personis Majestatem habentibus proficiscitur: nam Majestatem audire Libertatem civilem, ex Politicis clarum est. Differentiam exprimit CONCORDIA & TRANQUILLITAS. Licet enim Concordia plus videatur denotare, quippe quæ præter amicitiam negativam, simul includit eam, quæ supra dicebatur generalis: attamen Tranquillitas vel exponi potest negative saltem, pro absentia turbarum, vel positivè etiam, pro studio conservandi statum quietiorem. Sic idem est ac si dixisses, Pacem esse pactionem de mutuis Rerum amicitiis.

XVIII. Non valet consequentia: Sola Pax lætificat Cives, E. fœcunditas agrorum Cives non lætificat. nam exclusivæ particulæ s. voces non excludunt, nisi opposita. Fœcunditas autem Pacis est cognatum: nisi malis appellare Effectum seu Adjunctum ultro consequens.

XIX. Hæc propositio: Non sola Pax auxilium præstat Reip. est affirmativa. proinde Syllogismus hic est in Darii.

Qc. etiam provenit a bello, non præstatur à sola pace.
Auxilium Reip. interdum provenit a bello. E.

Q. Auxilium Reip. non præstatur a sola pace.

XX. Syllogismus hic non est falsus, nec habet Conclusionem affirmativam:

Qc. Remp. non reddit felicem, de eo non est jubilandum.
De Pace est jubilandum. E.

Pax Remp. reddit felicem.

XXI. Falsus tamen est hic, nec habet Conclusionem negativam

Qc. non consentit in Pacis articulos, is est inutilis ad Pacificationem.

Rusticus est inutilis ad Pacificationem. E.

Rusticus non consentit in Pacis articulos.

XXII. Potest construi Syllogismus, loco Propositionis habens Orationem non Enunciatiavam, cuius tamen Veritas sit perpetua e.g.

Qui timet Deum, habebit pacem.

Time Deum E.

Habebis pacem.

Sed in minori jam subintelligitur enunciatiava: Tu times Deum. Absq; hac enim si foret, nunquam in præsenti daretur Conclusionis veritas.

THE

THESES THEOLOGICÆ.

I.

PAX, Lingvâ Sanctâ, omnium bonorum complexionem denotat, unde salutantium formula, Christo etiam usitata, PAX VOBIS.

II. Ac notanter etiam Pax originem in ea Lingua accepit ab Integritate: quoniam certè tum quælibet felicitas suis numeris absoluta videtur & integra, cum nihil turbare, nihilq; belli (quod vicissim à commestione seu consumptione integratatisq; diminutione appellatur.) solet intercedere.

III. Si tamen nunc abeamus ad specialem significationem Pacis temporalis, non quæ cum Deo in conscientiis habetur, sed quæ Civitates externâ quiete reddit felices; certum est, habere Principes liberum Arbitrium rumpendi vel confirmandi Pacem.

IV. Hoc enim si negaretur, inutiles forent Theologorum admonitiones, quibus ad Pacis studium invitantur Principes.

V. Neq; excludi debet divina Providentia, quæ si passerum quoq; curam habet maximam, tanto magis in dispensandis hominum negotiis omnipotentiam suam demonstrat.

VI. Inde durante bello celebrantur dies pœnitentiales; impetrata Pace seqvuntur Sacra in Templis Jubila.

VII. Ethnicorum quoq; Virtutes interdum à Deo pace temporali fuisse ornatas, certum est.

VIII. Ita etiam Deus qvibusdam Gentibus Pacem indulget in Pœnam: nam de his Lubricitatibus sive blanditiis Assaph quoq; canit Psalm. 73. 18.

IX. Pax videtur Peccatum appellari Ezech. 16, 49. ubi iniuriantes Sororis Sodomæ recenserunt. Sed primò vocabulum in textu non occurrit, quod aliàs in salutationibus adhibetur: deinde non de pace, sed de pacis at tranquillitatis abusu propheta loquitur. Ita enim per accidens felicitas temporalis homines reddit deteriores.

X. Nec adeo culpa rejici debet in Deum pacis datorem, qui benignitate sua homines ad pœnitentiam erat invitaturus.

XI. Pax cum Hæreticis, si externa sit ac politica, debet servari.

XII. Pax vero interna, quæ fraternitatem & confusionem Religionum præ se fert, in idea svaviter depingi, in existentia nunquam exhibe-

hiberi potest. nisi prius Christus veritatis Auctor, cum Beliale falsitatem architecto abierit in concordiam.

XIII. pacem igitur aliquam esse iniquam, vel inde constat, quod bellum Michaëlis cum Dracone fuit legitimum, & in Cœlis probatum.

XIV. Grotius cum Doctrinam de Jure Belli & Pacis finiisset, ac ultimo seriam admonitionem de colenda Pace subjecisset, accuratam annexit clausulam: **INSCRIBAT HÆC DEUS (QUI SOLUS HOC POTEST, CORDIBUS EORUM, QUORUM RES CHRISTIANA IN MANU EST, ET IISDEM MENTEM DIVINI HUMANIQ; JURIS INTELLIGENTEM DUIT, QUÆQ; SEMPER COGITET ELECTAM SE MINISTRAM, AD REGENDOS HOMINES, DEO CARISSIMUM ANIMAL.**

* * *

Dic mihi cur celebrat Pacis tot jubila Saxo?

Si nunquam belli Patria sensit onus.

Agnosces Rutam, quæ sic de Peste triumphat,

Nulla tamen rabidæ funera Pestis habet.

